



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

Disquisitio IV. Quoûsque, salvis Concordatis inter Leonem X. & Francium  
I. Galliarum Regem initis, extendi possit Papæ jurisdictione in ordine ad  
forum contentiosum Ecclesiasticum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**



## DISQUISITIO IV.

*Quodque, salvis concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Galliarum Regem initis, extendi possit Papæ jurisdictio in ordine ad forum contentiosum Ecclesiarum Gallicanarum?*

## S. I.

- I. **A**uthor tractatus de libertatibus Ecclesie Gallicane lib. 6. cap. 5. tradit, à tempore præinsinuatorum Concordatorum enersisse sequentes difficultates, quarum prima est; *Utrum Papa possit alicujus negotij iudicium ad se immediate trahere?* Secunda; *An possit aliquando negotia iudicare?* Tertia; *An formulis ordinis iudicarij se accommodare teneatur?* Prima igitur controversia frequenter occurrit de causis maioribus: quarum momenta, advertente Authore præfato n. 2. expenduntur ex quadruplici capite. Primo ex rei magnitudine, ut v. g. quando spectant ad fidem, ad Religionem, vel ad præcepta generalia morum, & disciplinæ, ut habetur *Can. Præceptis d. 12. Cap. Majores. De Baptismo. & alibi.* Secundo causa majores dicuntur ex magnitudine difficultatis circa illas nata. Interdum enim quasi synonyma ponuntur, majores & difficiliore quæstiones; & ab hoc maxime capite Galli, saltem si Joanni Gerbatio credimus, causarum magnitudinem metiuntur. Sic enim habet Doctor ille *Dissert. de causis maioribus art. 1. num. 70.* Galli nostri de versam aliquatenus majorum causarum ideam tradiderunt; neque enim cause majores apud eos statim dictæ sunt, quæ de rebus maioribus ac præstantioribus essent, sed quæ plus obscuritatis haberent ac difficultatis: quare tum tandem Apostolicam Sedem adeundam, ejusque consulenda oracula existimârunt, cum aliunde lex non affulgeret, rationeque vulgò usurpata minime sufficerent. Exploratum illud sit, &c. Tertio vocantur cause majores ratione dignitatis personæ, v. g. cum de Episcopo agitur, ut patet ex cap. *Inter corporalia. De translatione Episcopi;* & ex Doctoribus in illud cap. Denique majores dicuntur ob difficultatem exequendæ rei justæ, aut amoliendæ rei injustæ. Sic anno 816. Ecclesia Rhemensis in Concilio Pontigonensi, cui Apostolicæ Sedis intererant Legati, majora negotia, & majores causas appellabat eas injurias, quas à Ludovico Germaniæ Rege perpessa fuerat, & timebat, ne in posterum pareretur: *Paternis magistris instrumur, ut, si quæ majora negotia, vel majores cause exorta fuerint, ad Sedem Apostolicam, prout auctoritas docet, & mos antiquus obtinuit, semper referantur.* Quæ sint autem illa negotia, deinde notatur; *Calamitates, & miseria Ecclesie nostræ, ac civitum nostrorum, quæ hoc anno à Ludovico Rege, itemque à Ludovico filio ejus, & complicitibus eorum, cades videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cætera flagitia, quæ nullus enumerare potest, Ecclesia nostra perpessa est.*

Denique postulatur auxilium; Ne de cæteris talia, ac tanta mala Ecclesia nostra, ac Regnum patiat, qualia hæcenus passum est. Sed hæc postrema duo causarum genera majora non æstimantur, nisi cum aliquâ rei magnitudine conjuncta, v. g. nisi agatur de deponendo Episcopo, vel alio gravissimo negotio.

De hisce igitur causarum generibus prima procedit præsentis disquisitionis difficultas, quam unâ cum cæteris difficultatibus hic occurrentibus ex præcæti Authoris verbis expediemus, quia ex una parte, ut integrum redideretur hoc opus nostrum, urgebatur ad materiam istam, utpote Ecclesie Gallicanæ libertates attingere vitam, hæud præmittendam; ex altera verò parte lubenter profitemur nostram imperitiam in hisce rebus, quæ Gallie Regno sunt peculiaris.

## S. II.

*An prima præinsinuatæ Gallicæ Regni causarum cognitio ad sanctam Sedem, an ad Concilium Provinciale spectet?*

**P**ergit igitur præfatus Auctor à n. 3. hinc in modum disserere. Hic in re licet Episcopale iudicium præmittendum, id quæ ex antiquis iuribus colligi, aliqui len'erint, certum est, Concordata, cum causas majores ab ijs exceperunt, quæ deberent ab Ordinarijs definiti, primum earum iudicium Summo Pontifici reliquisse. Cum enim contentiones circa jurisdictionem dirimere voverim, hanc questionem, quæ maximi erat momenti, & à qua plurimæ, gravissimæque disceptationes oriri poterant, non reliquerunt incertam: alioquin enim si detur minandæ illi luperferendæ partes iudicassent, de illa omnino siluissent. Cum autem mentio facta sit ejus, cur in aliud tempus definitæ dilata fuisset, cum periculo, ne interim novarum discordiarum esset fomes, ac sine spe novorum ad eam in posterum commodius definitendam adjumentorum. Perspicua videtur Concordatorum sententia his verbis comprehensa *ut de causis. Omnes & singulæ cause, exceptis maioribus in jure expressè denominatis, apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscripserint, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, ac finire deb. ant.* Quod idem in Concilio Basileensi, & Pragmatica sanctione statutum fuerat.

Accedit, quod tempore præcedenti, ac consequenti Concordata, Gallis periculum erat, causas majores in prima instantia esse ad sanctam Sedem referendas, quia hæc erat Juris Communis dispositio, & Canonici Iuris Interpretum sententia, etiam apud Gallos, Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in speculo Iuris part. 1. tit. de legato. §. Non ostendendum. num. 1. *Majores cause, inquit, ad Sedem Apostolicam sunt referendæ, ut extr. de vap. Majores. extr. de trans. l. 11. q. 6. omni oppressus, & citatus super istis coram Ordinarijs potest etiam absque aliquo gravamine illatæ, vel committat*



minato ad Sedem Apostolicam appellare, ut 2. quæst. 4. Nullam & q. 6. Ad Romanam &c. ideo S. Cùm ergo, quod specialissimum est, ut probatur extrav. de appellat. ut debitus. in fin. Ioannis Gersonij, Concordatis non longe antiquioris, verba mox exscribemus; sed glossa ipsa Pragmaticæ Sanctionis, quæ semper in eo Regno maximi habitata fuit in tit. de causis. §. Statuit. verb. Majoribus. rem confecisse videtur, addens; Quæ ex natura ipsarum sunt deferendæ ad Sedem Apostolicam, nec in ipsis compellatur quis litigare coram Iudice inferiori. Quod multis comprobatur autoritatibus. Rebutus magni nominis in illo Regno Author eandem doctrinam tradidit his verbis; In causis majoribus in Iure expressè descriptis, & Sedi Apostolicæ reservatis.

Ioannes Gerbalius id unum in tota sua dissertatione de causis maioribus explicandum sibi propositum fuisse, profiteretur in allocutione ad Lectorem; Quid nempe Iuris in presentia obtinere debeat apud Gallos de causis maioribus. Atque idcirco dissertationem suam inscripisse, ad caput Concordatorum de causis. Cùm enim, inquit, Concordatorum leges ægrè quidem initio, usu tamen inducæ, sic jam videantur, ut municipalium instar legum nobis evaserint, operæpretium duxi examinare imprimis; si quid fortè novi Concordata de causis maioribus statuisse, speciatimque de Episcoporum causis, & iudicij, quibus præsertim inchoare sinit animus. Articulo autem 3. num. 2. Quamquam, ait, dissertatio hæc tota inscripta sit ad caput Concordatorum de causis; verum tamen capituli eius tractatio propria magis erit huius articuli, ubi sententiam legis capite isto comprehendere peculiariter studio, ac de industria magis examinabimus. Quæ quidem declaratione levat nos onere discutendi omnia exempla, quæ profert, iudiciorum ab Episcopis circa causas majores diversis temporibus prolatorum, aut exceptiones, quas adhibet adversus prima iudicia de huiusmodi causis à Summis Pontificibus pronuntiata.

Itaque id unum inquirendum est, quid nempe in Concordatis eade de re statutum fuerit; quandoquidem Concordata municipalium instar Legum Gallicis evaserunt. Atque quantum conjecturâ licet allequi; sunt ex illis regulis, moribus & institutis à Regno, & Ecclesiâ Gallicana receptis, quæ valere debere declarant Illustrissimi Antistites Gallicani in hac tertia propositione. Sunt autem verba Concordatorum tit. de causis, quæ sequuntur. Statuimus quoque, & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes, & singule cause, exceptis majoribus in Iure expressè denominatis, apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscriptâ, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & desiniri debeant. Istud caput, seu titulus nihil amplius continet. Quod enim attexit, nescio quâ intentione, Ioannes Gerbalius, aliud caput est sub titulo de frivolis appellatiombus.

Agitur in capite modo exscripto, ut per se patet, de primo iudicio causarum definitivo, non autem de supremo, & à quo appellari non possit. Nam neq; minor: s etiam cause apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut con-

suetudine præscriptâ, vel privilegio illarum cognitionem habent, ita terminari, & desiniri possunt, quin liceat appellare, usque ad tertiam sententiam conformem includivè, ut in sequenti Decreto statuitur. Cùm igitur de prima sententia sit sermo; constat, causas majores in Iure expressè denominatas à lege Generali excipi, ejusque exceptionis non aliam vim esse posse, quam ut aliæ quidem à Iudicibus desiniri queant, qui jure, aut consuetudine, vel privilegio illarum cognitionem habent, majores verò nequaquam.

Quod adhuc magis confirmatur ex eo, quod notat Gerbalius; nempe quod prava diu consuetudo inoleverat vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus, leviores causas, minimaque negotia, sive id fiebat in prima instantia, ut ajunt, & per calumnias, sive per frivolas appellationes. Duobus igitur abutibus, ut Gallorum more loquamur, mederi voluerunt tum Patres Basileenses, qui materiam Pragmaticæ Sanctionis subministraverunt, tum Authores Pragmaticæ Sanctionis, cui substituta sunt Concordata, tum Concordatorum ipsorum Authores; primò quidem ne omnium causarum prima cognitio Romam evocaretur. Secundò ne frivola, aut interurbato jurisdictionum ordine, omisso medio, appellaretur. Primo malo occurritur statuto supra relato, quo prima causarum cognitio Iudicibus reservatur, ad quos de jure, aut consuetudine, vel privilegio pertinet. Sed dum excipiuntur cause majores in Iure expressè denominata, quid aliud operari potest illa exceptio, quam ut cause majores etiam in prima instantia Summi Pontificis iudicio referrentur? Alteri abutui medetur caput sequens, ubi prohibentur appellations, nisi ad immediatum Superiorem, & à sententijs interlocutorijs, nisi gravamen inferant irreparabile. Itaque istud caput de causis, consuetudinem vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus leviores causas, minimaque negotia tollit, sed exceptione firmat consuetudinem illuc vocandi causas majores, quæ parvis, & minutis rebus ac negotijs opponuntur a Concilio Basileensi Sess. 31.

Id luce clarius evadet, si notetur doctrina Iuris Canonici, ejusque Glossatorum & Interpretum circa ordinem iudiciorum. Nam ex cap. Vt nostrum. de appellat. Summus Pontifex causam motam apud inferiorem Iudicem ad se evocare poterat, quod de Principe supremo docent etiam Juris Civilis Doctores, ut videri potest apud citatos ab Augullino Barbosa in hoc cap. verb. Ad nostrum iudicium revocavimus. Eaque evocatio eundem, aut majorem, quam appellatio, habebat effectum; Cùm plus sit, inquit Innocentius III. illius Decretalis Author, Romanum Pontificem ad se ali-quod revocare (aut, ut est in margine, evocare) negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio provocare. Poterat etiam ad Summum Pontificem appellari omisso medio, ut patet ex cap. Antiqua. de privileg. ubi Gloss. verb. Ab omnibus; hoc est, ait, privilegium Apostolicæ Sedis, ut, omissis omnibus, possit appellari ad ipsam. Idem docet hic Augullinus Barbosa, plurimorum-

oritas  
ultra  
tolica  
VI



que Doctorum autoritate confirmat. Ius autem illud observabatur in Gallia, ut alibi. Non enim alio Jure Communi, quam Decreto, & Decretalibus utebantur Galli, ut tradit D. Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. verbis jam alibi relatis. Abusus igitur, qui circa hæc duo puncta irrepleverant, tollere voluerunt Patres Basileenses, Authores Pragmaticæ Sanctionis, & Authores Concordatorum, solis causis majoribus primo sanctæ Sedis judicio relictis, & sublatis appellationibus, omisso medio, vel à sententia interlocutoria gravamen irreparabile non inferente.

10. Agnovisse, vel invitus videtur Gerbasius, Concordata aliquid statuisse circa causas majores, & discrimen inter illas, & ordinarias posuisse; sed vult hoc tantum statutum, nempe ut illæ referrentur ad Summum Pontificem, non istæ. *Esso* (inquit num. 4.) determinata quoque sit in Concordatis ratio finiendarum causarum majorum. *Esso* clausula ista, exceptis causis majoribus, &c. legem continet, &c. Et infra; *Clausula itaque negat, cognitionem causarum majorum debere omnino fieri à Judicibus in partibus sine relatione ad Summum Pontificem.* Sed aliena est profus à mente Conditorum illius statuti hæc interpretatio, quatenus primum judicium causarum majorum Episcopis referre conatur. Primum enim jam dudum desierat ille relationum usus, ut ne verisimile quidem sit, illum in mentem aut Pontificis, aut Gallæ Regis, aut Episcoporum venisse. Secundo non quærebatur, an sancta Sedes esset consulenda super negotijs, sed in quo Tribunali, & quo ordine judicanda essent? An nimirum passim omnia possent per evocationem, aut per appellationem ad Curiam Romanam trahi, ut patet ex integro Decreto Basileensis, Pragmaticæ Sanctionis, & Concordatorum contextu.

11. Non negabit Gerbasius Senatui Parisiensi veram Pragmaticæ Sanctionis intelligentiam, quippe cujus se illa Curia protectricem profiteatur. Atqui Senatus in oratione ad Regem Ludovicum XI. an 1461. circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ habitâ, & inter Tractatus de illis libertatibus in 1. tomo Puteani secundo loco relatâ, declarat, primam cognitionem, & decisionem causarum ad Episcopos spectare, nisi sint majores.

12. Idem declarârunt Officiales Regij anno 1461. Cautum est, ut Ordinarij tanquam veri Pastores cognitione, ac jurisdictione gauderent in suis oves, exceptis causis majoribus reservatis à dicto Consilio, scilicet Basileensi, apud Puteanum in probat. libert. Eccl. Gall. cap. 36. n. 21.

13. Articulo 15. assertit Gerbasius quædam exempla Concordatis recentiora, quibus ostendit, Regem Christianissimum, vel Ecclesiam Gallicanam, vel Episcopos singulares deponere molebantur, sed cum assertit exempla etiam contraria, quid ex illo confictu resultat, nisi modò illud, modò aliud jus usurpari, prout quilibet suis rationibus commodum judicat?

S. III.

*An Majorum causarum cognitio Judicibus Delegatis in Regno Gallia committere tenentur Summus Pontifex, vel utrum eas possit Roma judicare?*

Audiamus hæc in re præfati Authoris judicium cit. lib. 6. cap. 6. negantis, Papam obstringi ad causarum Majorum cognitionem Judicibus delegatis in Regno Gallia committendas; quia non honoris tantum causâ, & in signum superioritatis Summo Pontifici refervata sunt; quod de appellationibus in causis ordinarijs dici posset; sed quia propter rerum dignitatem, supremi Judicis lumen, & auctoritatem requirunt.

Sunt multi alij casus, in quibus Summus Pontifex deberet causarum cognitionem ad se trahere, etiamsi alias nulla ei postre lege reservarentur; v. g. primo, cum Episcopi aut nolunt, aut non possunt Ecclesiarum necessitatibus providere. Atamen, inquit Joannes Gerbais de caus. major. art. 19. §. 3. Si quando Metropolitanus, vel in Suffraganeorum suorum sceleribus convivere visi sunt, vel cerè ob fuscum latius malum, nimiamque seriè corruptelam emendandis illis impares extiterunt; haud immeritò sanè apostolica Sedes tum adfuit auctoritas, ad quam nempe spectat cæterorum Episcoporum excusatio vigilantiam, imò eorum implere vices, si sint deficiant, &c.

Secundo, quando periculum est in mortem, scilicet Gerbais art. 11. in fine loquens de Commisarijs ab Urbano VIII. datis die octavâ mensis octobris anno 1632. ad instantiam Ludovici XIII. Francorum Regis adversus quosdam ejus Regni Pralatos, ait, formam illam judicis, ut scilicet Summus Pontifex supremum causæ judicium immediate committeret, necessarium fuisse, ob genus criminis, quod cum præsentem Imperio suo (Ludovici) rursus imitentaret, longiorem tamen si Canoniam, judicij formam non sinebat usurpari.

Tertio, quando res sunt admodum difficiles; præsertim si concurrat aliquod scandalum periculum, ut fatetur ipsemet Gerbais art. 4. §. 1. Quamvis aliunde contendat, primum Majorum causarum (quo nomine difficultiores, præcipue in materia fidei, intelligit) cognitionem ad Episcopos pertinere. Hæc itaque, inquit, regula constituta non inepte poterit in fidei dirimendis quaestionibus. Nihil est controversiæ forsitan aliqua in Provincijs existeret de rebus ad fidem spectantibus, vel res illa obscuræ erunt, insolentes, neque satis aut scripturis, aut etiam traditione explicatae, tum consulenda est Apostolica Sedes, ejusque expectanda sententia, quæ prima esse debet, ut inquit Facundus Hermianensis. Consentit in hoc Joannes Gerbais cum Joanne Gersonio; nisi quod iste primum earum causarum difficultium judicium Summo Pontifici referret. Hæc sunt verba trad. de examinat. doctrinar. considerat. 3. Alique sunt doctrina palam hæreticæ apud omnes; alia dubia simplicibus, sed manifestè sapientibus, & peritis; tertia veluti neutra, habentes pro se Doctores



cum rationibus ad utramque partem probabilibus: nec in una tantum dacesti, vel pauca, sed apud omnes Christianos, aut longe plurimos. Est ergo veritas, quod in primis & secundis auctoritas inferiorum Prælatorum se extendit, & ad suos tantummodò: in tertijs verò nequaquam, quoniam meritiò dicuntur Majores cause, fides propter difficultatem decisionis cum periculo scandali: ideo sunt ad Sedem Ecclesiæ, vel ad sedentem in ea referenda: juxta illud: Si quid ambiguum, vel difficile, &c.

Quartò, si Episcopi etiam vicini suspecti essent. Cum enim jure tam naturali, quam positivo Judices suspecti reculari possint, si omnes inferiores gravi laborarent suspitione, recurrendum sine dubio esset ad supremum, qui negotium ad se trahere posset, si certò prævideret, Episcopos v. g. secularis potestatis metu injustitiam nullo modo, vel difficulter reparandam commissuros. Istud pluries accidit in negotijs Episcoporum. Quamobrem Hincmarus Episcopus Rhemensis privilegium à sancta Sede instantè efflagitavit, impetravitque, ne ab alio, quam à Summo Pontifice judicari posset. Nullius infestatio ante audientiam Romani Pontificis, quæ nec regule hoc permittit Ecclesiastica, judicare te, vel condemnare præsumat. Quod etsi temerarius quisquam forte præsumpsit, nullius excommunicationis, vel obligationis, vel condemnationis sententiæ sine decreto Pontificis teneris obstrictus, sed si à quocumque, vel undecumque fueris compellatus, ut debeas judicari, apostolici Papæ iudicio te reservari, nostrâ, imò B. Petri auctoritate decernimus. Nec alterius cujuscumque juri, vel iudicio te subijci, exceptâ potestate Sedis Romani Pontificis, nec ad alterius Primatis Provincia Synodum, nisi ex communi placito, posse convocari, mandamus, Nicolaus I. episc. 1. in appendic. Ministrant hujusmodi exempla oppressoribus à proprijs Coepiscopis Antistitem Historiæ Gallicanæ, Prætextati Rhotomagensis à Childerico Rege oppressi, de quo Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 5. cap. 19. sancti Desiderij Episcopi Viennensis, Brunehilde Regina infligente, exautorati in Concilio Cabilonen. si anno 603. illorum Episcoporum, de quibus Sigebertus in Chronic. anno 687. Theodoricus Rex, inquit, Ebroinum in gratiam recepit, ejus consilio Synodum Episcoporum cogit, & in hac multos eorum ex sententiâ Ebroini privat: Arnulphi, Hugonis Capeti præcepto urgente à Sede Rhemensi depositi, de quo lib. 5. Aimoini, sive ejus Continuatoris cap. 46. aliorum denique non paucorum, quos certè maximè jussit, si Romani Pontificis eorum causas ad se evocassent, ne à Coepiscopis Principum voluntati cedentibus obstruerentur.

19. Concilium Tridentinum dignitati, ac securitati Episcoporum optimè se consulere putavit, statuens, ut cause graves Episcoporum à solo Romano Pontifice judicarentur, non permissa eorum cognitione Concilij Provincialibus, aut Episcopis Metropolitanis, nisi forte ad fumendam informationem, si quando id locorum distantia, vel alia ratio postularer.

Cause criminales, inquit Sess. 24. de Reform. cap. 5. graviores contra Episcopos etiam hæresis, quod abist, quæ depositione, aut privatione digne sunt, ab ipso tantum Summo Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessarid extra Romanam Curiam sit committenda, nemini profus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis. Hoc verò commissio, & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant: reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ. Videri etiam potest Sess. 13. de Reform. cap. 8. & jurâ utrobique ad marginem citata. Cum ad Episcoporum pertineat dignitatem, talem habere iudicem: nescio, cur illi ipsi ejus iudicium effugere nitantur, quo faciliè possent indigere. An ut Concilij Provincialibus sua fervetur auctoritas? Sed desijt in Gallia illorum usus; & licet congregarentur, ad tuendam innocentiam, si opprimeretur, vel ad plectendam injustitiam, si à potentibus defenderetur, parum valerent.

20. Alia possent occurrere occasiones, & legitima cause perferendæ ad sanctam Sedem primæ negotiorum cognitionis. Illic posse causas retineri, quoties justa subesset ratio, expresse continebat olim Pragmatica Sanctio his verbis, aut aliam rationabilem causam, quæ verba licet deleta sint, ut docet Glossa, ad instantiam Universitatis Parisiensis, ne sub illorum prætextu quælibet causa justa, & rationabilis supponeretur: tamen si revera tubesset hujusmodi causæ justæ, & rationabiles, si non ex iure Gallico, certè ex naturali, & Divino, liceret Summo Pontifici potestate sibi à Christo traditâ uti.

21. Sic habet nunc Pragmatica Sanctio tit. de causis §. Si verò, ubi sermo est de causa in partes remittenda. Nisi forte propter defectum justitiæ, aut justum metum etiam in partibus vicinis, de quibus in commissione exprimentis legitimo prius documento, aliâ quàm per juramentum summarie consisterit, apud ipsam Sedem foret merè id retinenda. Glossa ad verbum Convicinis; sequebatur in primo originali, aut aliam rationabilem causam; quæ clausula sublata est, instantibus Nuncijs Universitatis Parisiensis; eò quod minima causa, quæ in Romana Curia exponeretur, apud multos rationabilis, & legitima judicaretur, & per hoc non esset provisum abusus. Cessante igitur fraude, si defectus justitiæ, justus metus, aut alia rationabilis causa postulet, negatum poterit apud sanctam Sedem retineri.

22. Si Concilij Provincialibus relinquenda est cognitio graviorum causarum contra Episcopos, non est expectandum, ut quisquam puniatur; cum jam pridem nulla illic Concilia celebrari videamus. Atque illud præcipuum videtur esse consilium eorum, qui tanto perè certant, ut Episcopi à Concilij Provincialibus judicentur. Cum enim frequentior erat Synodorum celebratio, securius & honorabilius sibi arbitrabantur Præsules, solius Romani Pontificis subjacere iudicio. Si que de admissio in Regem, aut Regnum crimis

oritas  
ultra  
tolica  
VI



accusaretur, facilis quidem foret Concilij congregatio, sed accusato admodum periculosa, essetque maximè optandum, ut illius causa *immediate* ad sanctam Sedem deferretur, Romæque judicaretur, juxta Concilij Tridentini Decretum.

## §. IV.

*Utrum Papa in ferendo circa illas causas judicio, teneatur ordinem judicium ex integro observare?*

23. **A**uthor *præallegatus* dicto lib. 6. cap. 7. præsentem difficultatem ita resolvit. Hæc quæstio, iniquis, egregie tractata est à Ioanne Monacho Cardinali Natione Gallo, patriâ Picardo supra Constituit. Bonifacij VIII. quæ incipit; *Rem non novam*. Extravag. de dol. & contumac. verb. *Non obstantibus aliquibus privilegij*. Antequam dubium resolvat, distinguit quinque genera legum, & jurium, scilicet primò Legem Æternam, quam cum S. Augustino contra Faustum definit. esse Divinam voluntatem, ordinem Universitatis conservari jubentem, & perturbari vetantem. *Secundò* legem Naturalem homini impressam, tanquam participationem quandam Legis Æternæ, & principia rerum agendarum dicentem; puta bene esse agendum, nulli nocendum, bene agentes præmiandos, peccantes puniendos. *Tertiò* legem Divinam, hominem dirigentem ad finem supernaturalem, id est, naturalem virtutem, & facultatem hominis excedentem. *Quartò* legem Humanam ex naturali deductam tanquam conclusionem à principio, necessariam cum illo connexionem habentem. *Quintò* legem Humanam, naturalem determinantem in ijs, quæ ab ipsa in communi tantum præscribuntur; puta cum lex naturalis dicitur in communi, peccantes esse puniendos, non determinatæ pœnæ, lex humana præscribat, homicidas esse puniendos tali, vel tali genere pœnæ.

24. Ex his quinque legum generibus *quatuor prima* cujusvis hominis, etiam Summi Pontificis, potestatem superant. Cum enim Lex Æterna sit ipsomet Deus, lex autem Naturalis, quasi quædam copia, & impressio Legis Æternæ à Deo facta; lex Divina ab ipsomet Deo constituta; ac denique lex Humana à Naturali tanquam conclusio deducta, *virtualiter ac radicaliter* in suo principio contenta, ejusdem rationis cum illa censeatur, constat, illas omnes à solius Dei voluntate pendere, unde interdum earum quilibet ab Authoribus legis Divinæ nomine donatur. His igitur non superiores, sed subjecti sunt cujuscunque conditionis homines, nec ab eis recedere sine peccato possunt.

26. Itaque dum quæritur, an Summus Pontifex teneatur ordinem judicium in aliquo sequi. *Primò* videndum est, an ille ordo sit à lege aliqua ex supradictis præscriptus. Quod si ita esse constiterit, non poterit certè illi sese non accommodare: sed de hoc nulla est controversia, præsertim in materia libertatum

Ecclesiæ Gallicanæ, in qua frequentiores attentiones oriuntur ex violatis, aut præsertim ijs solemnitatibus, & formulis in Gallia servari solitis, & a consuetudine, ac ordinationibus Regis, aut Senatûsconsultis institutis.

Quocirca dicendum videtur, non debere quidem Summum Pontificem solitum illum ordinem prætermittere, vitandæ perturbationis causa, & quia plerumque ad justitiam conducere in qualibet regione censenda sunt, quæ populi consensu, ac diuturno ulu comprobata sunt; non tamen ideo invalida esse Summi Pontificis Decreta, dummodò in ijs nihil desideretur illorum, quæ lex Divina, vel Naturalis præcipit, præsertim si prætermittente ordinem, necessitas, aut magna utilitas suadeat; puta si ejus conditionis sit negotium, ut nihil celerrimum afferatur remedium, plurima consecutura sint mala, qualia esse dogmata pernicioza, Sacramentorum prophanationes, &c. Imò in rebus minoris momenti, si per provisionem, ut vulgò dicitur; sine partium judicio, aliquid statuat, accipiat periculi vitandi gratiâ, causæ merito maturiori examini, & discussioni à Iudicibus, ad quos pertinet, faciendæ reservato. Vel enim forma illa est à Rege, aut populi usu constituta; & sic Summum Pontificem utpote Superiorem ligare nequit. Vel ab Ecclesiâ ipsa inducta est, & ita suprema Pastoris est, super ea dispensare, postulate necessitate, vel Ecclesiæ utilitate.

An minorem Summo Pontifici libertatem circa formulas in judicij Ecclesiasticis concedemus, quàm Iurisconsulti Curij Regis in negotijs secularibus? *Curia Parlamenti*, inquit Petrus Rebuffus in *Proem. ad Concord. 15. ex bono*, & *æquo* judicare solet, & *secundum conscientiam*, & *debet veritatem attendere, non subtilitatem, seu formalitatem*. Omitto, quod vulgò circumfertur, Principem, & præcipuè Papam, esse supra legem, solum à lege, ac lege superiorem. Verumtamen cum id de vi *coactiva* intelligi debeat, Principes, præsertim Ecclesiastici, vim legis *dirigendam*, amore justitiæ, accuratius sequi debent, quàm lubidini vi *coactivæ*, timore pœnæ, sese accommodare.

Illustrissimi Præfules Gallicani, ut Summi Pontificis, quamplurimarum Ecclesiarum Galliæ libertatem adversus Regiam detendentis zelum sisterent, violatam ab eo in aliquibus negotijs judicium ordinem obtenderunt; ac cum deberent Christi Vicarum malis, & scandalis in illis ipsis negotijs perpetratis medentem juvare, illa silentio involventes de inverso processû ordine gravissimas excitârunt querelas. Verùm quæcumque necessaria erant, ab eo observata fuisse, & ea tantum prætermissa, quæ vel impossibilia erant, vel ob conditionem negotiorum, promptum remedium postulantium, adhiberi non poterant, ac denique rerum justitiam adeo esse evidentem, ut nullo prætermissarum formularum prætextu eludi posset, egregie demonstrat.



monstratum est varijs scriptis Gallico idiomate editis, præsertim libello, cui titulus *Considerationes circa Ecclesiastica negotia in proximis Comitibus Cleri Gallicani proponenda*. His igitur omiſſis, ad quæſtionem redeamus.

29. Communia quidem à nemine negantur. Sed ea casibus particularibus applicare, in quibus tamen operæpretium est, non tam facile quilibet possit.

30. Duabus partibus omninò necessarijs, & quali essentialibus constat iudicium, scilicet cognitione causæ, & prolatione sententiæ, ad quas reliqui omnes actus referuntur. Necessè quippe est, ut iudex causæ merita intelligat, & ijs intellectis, jus dicat. Verùm ut causæ cognitionem adipiscatur, opus est, ut utraque pars jus suum exponat, ac partis adversæ allegationibus respondeat, quod litis contestatio à Pragmaticis nuncupatur. Ex ea contestatione maximè pendet causæ instructio, eò quòd nihil magis ad detegendam veritatem juvet, quam si omnes utrinque rationes proponantur, ut contingit, cum hinc Actor, ilinc Reus; alter pro affirmativa, alter pro negativa, studiosissimè, ut fieri solet ab ijs, quorum interest, conquisita argumenta proferunt. Unde illi litis contestatio ceu præcipuum processûs fundamentum habetur à Jurisconsultis. Ut autem ambæ partes in id concurrant, oportet, ut vel communi consensu, vel quòd plerumque necesse est, per Rei citationem conveniant apud Iudicem. Quòd si, ut ferè semper accidit, altera pars affirmet, altera neget; cum neutri, quantumvis eximie dignitatis, credendum sit; probationibus opus est, quæ de veritate fidei faciant, ac Iudices instruant. Detectâ veritate, pronuncianda est sententia, ac executioni demandanda, nisi forte injusta sit, & à superiore Iudice corrigenda.

31. Quamvis ergo ad hoc, ut iudicium validum sit iure naturali ac Divino, satis sit, ut iudex causam nôrit viâ publicâ (cum enim ut persona publica, & ob Bonum publicum procedat, non sufficit ei privata cognitio, quantumvis certa) & ut æquitatem, & iustitiam servet in iure dicendo; tamen quia perfecta illa cognitio, partibus non auditis, vel saltem vocatis, & aliunde accessitis probationibus, haberi non potest; nec consequenter, nisi temerè iudicari: necesse omninò est; primò, ut partes citentur, nisi fortè ultrò conveenerint, & utraque iura sua tueatur, aut tueri possit. Secundò, ut, si pars altera adesse nolit, quod ab altera asseritur, probeatur. Tertio, ut iudicium secundùm allegata, & probata, juri præsertim Divino & naturali consentaneum, proferatur.

CONCLUSIO

Generalis relata ad universos præcedentes Paragraphos.

32. Cùm Papæ supra Reges autoritas

*indirectè* erga temporales quoque

causas præcedenti articulo 1. multis fundamentis sit ostensa, niti manifestò iure Divino, irrationabile prorsus, & à Divinæ doctrinæ regulis alienum foret, potestatem Pontificiam coarctare circa causas Ecclesiasticas, nisi quantum Summi Pontifices seu pactione, seu lege universalem constrictam volunt, salvâ semper potestatis suæ plenitudine.

Explicatur & probatur ex ijs, quæ Author *Inextincta veritatis Concilij Tridentini to. 4. in Sess. 23. à pag. 226. digessit*. Quæ, qualis, quantaque sit Ecclesiasticæ hierarchiæ Præsidis auctoritas?

Hoc enim dubitari à nemine potest, quin tanta sit illi attributa à Christo autoritas, cui commisit sui regni & ovilis curam pastoralem & regimen, quanta illi ad hoc ipsum sibi mandatam officium erat necessaria. Tantam autem illi prorsus necessariam, qui omnibus regendis debebat intendere, nemo non intelligit: ut in omnes ejus efficacia pateat, omnes regiminis sui habentis contractos habeat, omnes ejus dicto audientes esse teneantur, sine quo, ut nulla esset commissi sibi in eisdem regiminis efficacia, si ejus mandata nobis liceret contemnere; ita non posset (quòd maxime spectat illa ejus, toti Ecclesiæ necessaria auctoritas) unitatem religionis & fidei, & vigorem disciplinæ Ecclesiasticæ conservare in domo Ecclesiastica: neque efficere, ut in ea omnia ordine decenterque gerantur, non posset omnes, qui ejusdem familiæ sunt, quemque in suo continere officio; ab unoquoque ejus rationem exigere: & delinquentes punire: excessus corrigere: moderari universa, quæcunque aguntur in domo Ecclesiastica. Quæ tamen necessariò pertineat ad auctoritatem Præsidis, eam in quacunque bene instituta humanæ societatis specie, evidens ratio demonstrat.

Deinde & hoc necessariò ad ejusdem auctoritatem pertinere, *alibi* nobis copiosius demonstratum est, & per se etiam ex ipsa forma & specie societatis Ecclesiasticæ, & necessitate conservandæ in eadem unitatis, religionis & fidei, notum est: ut ad ipsum referantur omnes de religione, & fide quæſtiones & controversiæ suborta in domo Ecclesiastica, ejusque una cum sacerdotali Concilio (juxta formam expressam in Lege Veteri) secum servientium Domino in Cathedra Apostolica, aut etiam aliunde evocatorum (secundùm quod illius negotij qualitas exigere videbitur) terminandæ definitione & iudicio. Sine quo nullam in Ecclesia conservari posse unitatem religionis & fidei, sed tam diversas in eâ necessariò fore opiniones & sententias, quot sunt, & quàm diversa hominum ingenia, ipsa loquitur rei evidentia.

Oritas  
edra  
olica  
VI  
30.



35. Quare secundum ea, quae praemissa sunt, oportere, quilibet intelligit, ut membra universa Ecclesiastici corporis moderentur, & regulentur habentibus & imperiis sui illius hygemonicon, Ecclesiasticae videlicet hierarchiae rectoris & praesidis: ne quolibet lato pro suo impetu & arbitrio, necessariò subsequatur & pugna inter se membrorum, & schisma, atque unitatis divisio.

## PROBATIO I.

Ex indefinita Petri Successori per Christum concessa ligandi & solvendi auctoritate, una & exemplis praxis Ecclesiasticae petita.

36. **A** Summi ergo Pontificis auctoritate nemo exemptus est, qui inter oves Christi connumerari voluerit: quas omnes indiscriminatè illius subiecit regimini: nec distinxit à magistratu plebeium: non principem, non Regem, non Imperatorem exceptit: sed *pascet*, inquit, *regesque agnos meos, & oves meas*. Cui autem aliquorum commissum est regimen, necesse est, datam illi regendi eisdem potestatem: his autem obsequendi, & Rectoris imperiis obediendi, necessitatem impositam: sine quo nemo posset vel viginti personarum familiam & societatem regere. Neque elegit ad hoc Christus nobiles secundum carnem, non Reges, non Imperatores, & hujus mundi principes: sed infirma potius hujus mundi elegit, ut confundat fortia: sed Petrum piscatorem elegit, & post eum ex infima plebe plurimos: sub quorum gubernatione, regimine, & imperio se humilient, necesse est, quicumque in Christi ovile & regnum ascribi voluerint. Haec enim lex hujus regni est. Proinde obliviscantur interim proprii regni & imperii, oportet, Reges & Imperatores, quicumque in hoc ovile Christi, & regnum ejus ingredi, admitti que voluerint, aut admissi intus manere: sub illo se humilient, necesse est, quamvis piscatore, quamvis ex infima plebe assumpto, cui Christus ejusdem gubernationem committere dignatus est.

37. Fuit quidem hoc regnum Christi ab initio pusillum & humile, instar grani illius sinapis, cui Christus ipsum comparat, quod acceptum, misit homo in hortum suum, & crevit, factumque est arbor magna: ita ut volucres caeli venientes in ramis ejus requiescerent: quod impleri tunc cepit, cum Constantinus Imperator, & post eum Reges & Principes alij, suos fasces, sua sceptrata, suaque colla regno Christi submittentibus, sub ramis ejus veram pacem, quietemque invenirent. Quos omnes in hoc regnum ascriptos, non amplius instar Principum & Regum gentium, subditorum suorum, dominari sibi, sed Christo, jam oportet: illius, hoc quod diximus, regno, suo illo regno servire ad salutem suam & suorum: illius zelare honorem & gloriam.

38. Neque est, quòd indignè ferant illi ser-

vire, & non liberè Ethnico illo more dominari, sed subesse ejus rectori, & praesidi. Quando nulli salus est, nisi qui huic regno libens servierit: nulli ad illud caeleste beatitudinis regnum, nisi ex hoc, patet aditus. Quod Esaias, sub nomine Hierusalem hoc ipsum alloquens, & omnibus clarissimis verbis contestans, affirmat. *Gens enim & regnum, inquit, quod non servierit tibi, peribit*. Expetenda igitur est omnibus haec servitus.

Quin & Dei ordinatione ita constitutum, ut hoc Christi regnum, in primis deficientis Romani Imperii sibi subiecturum esset reliquias, & deinde comminuturum universa mundi regna, ingrediente in ipsum plenitudine gentium; jam olim Danieli ostensum est in visione, quam vidit ille Rex Babylonis in lapide illo scisso de monte sine manibus, ab initio modico, sed qui paulatim in montem magnum excrevit: impleturum adhuc universam terram, percussurumque statuam, quam idem ille viderat, succedentium sibi regnorum experimentem imaginem, in suis pedibus ferreis & fistilibus: quos eodem Daniele fidei interprete, reliquias Romani Imperii circa sui finem significare, certum est. Lapidem autem istum, esse hoc regnum Christi & Ecclesiam, idem quoque ille ipse Daniel certissimus testis est: *in diebus autem, inquit, regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur: & regnum ejus non tradetur alteri populo. Comminet autem, & consumet universa regna haec: & ipsum stabit in aeternum, secundum quod videri, quòd de monte scissus est lapis sine manibus, nempe hoc regnum Christi, Catholica, inquam, ejus Ecclesia, quod, inquit, consumet universa regna haec, sibi que subjecit.*

Nihil proinde indignandum est, hoc factum cernere: nempe, quòd Ecclesia sibi subjecerit Reges, Imperatores, Principes, regna denique & imperia: quod ab aeterno in futurum, praordinavit omnipotens illa Sapientia: & priusquam fieret, tantò ante fore praestensum ab eadem, & Prophetarum oraculis praedictum cernimus. Quae tamen nihil sibi vi usurpavit in quemquam indebitum: sed ultrò se ei submittentibus ad salutem propriam Reges & Principes, benignè suscepit. Audisti etenim, quid ille dixerit Ecclesiae. *Gens enim, & regnum, quod non servierit tibi, peribit.*

Comminuit igitur Christi Ecclesia, & sibi subjecit, juxta Danielis vaticinium, principatus & regna, Reges, & principes: sed illorum submissione ultronea: atque ita hoc volente, & ordinante Divina providentia, pro conservanda unitate necessaria & concordia in domo Ecclesiastica: atque hoc tandem efficiente, ut non subesset solum, sed plane dependeret eorum auctoritas ab auctoritate Ecclesiastica: abolita paulatim omni illa saeculari potestate, quae se in genulitatem quoquo modo referre posse videretur.

Itaque eadem illa, omnium regnorum successionem gubernante ac disponente providentia, cum tandem omne Occidentis Imperium subiectum esset Romano Imperio:



Romanus Pontifex Leo tertius, novum inchoavit Imperium plane dependens ab auctoritate Ecclesiastica, in Carolo illo cognomento Magno, Pipini filio: à quo ad nostra tempora supra annos septingentos, continuâ serie perdurat Christianorum Imperatorum successio. Qui universi nihil juris legitimi habuerunt ad Imperium, quod non acceperunt ab Ecclesiasticâ hierarchiâ rectoribus. Quod tamen ego magis legitimum nihil dubitaverim, quam universum illud, quod ante Carolum, ex Julio Cæsare ducebat originem.

Et quanquam etiam illud ipsum servire debuerat Christi Ecclesiæ, postquam ejus principes atque Imperatores ovile Christi ingressi sunt: haud tamen ita ab Ecclesiastica auctoritate dependebat universa eorum auctoritas, sed propriam, quam ante habuerant, introduxerant in Christi Ecclesiam, atque ejus auctoritati se reddiderant obnoxios. Quos proinde liberius compellens Gregorius ille Nazianzenus, cum aliquando modum suum non satis agnoscerent in Christi Ecclesia: *Suscipistis, inquit, libertatem verbi? Libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos potestati subijcit, atque istis tribunalibus subdit? Dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multo præstantiorem principatibus vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni? si à terrenis caelestia superentur? & si divinis præferantur humana?*

Itaque & ceteri Reges ac Principes hæc intelligentes, jam illustrati lumine fidei, sua sceptrâ, & universam prorsus auctoritatem suam Ecclesiasticâ auctoritati non solum subesse recognoverunt: imò, quod hanc subjectionem omnes magis intelligerent debitam & necessariam, juxta illud Esaïæ vaticinium (Divinâ ita hoc ordinante providentiâ, quæ, si in universa, in hæc maximè se extendit) universi suam auctoritatem recipere ab Ecclesia, ejusque auctoritate, re ipsâ professi sunt.

Sic florentissimi Galliarum Regni sceptrâ & titulos, (cùm in Hilderico earenus Rege ignavo & socorde, descenderet illa ex gentilitate tracta & reducta successio) Pipinus à Zacharia Ecclesiasticâ hierarchiâ præside, pro se, suisque successoribus accepit, sacrâ unctione, Apostolicâ auctoritate sibi impensâ à sancto Bonifacio Maguntino Archiepiscopo & Christi Martyre. A quo in hodiernum usque diem omnes ordine sibi succedentes Reges, quò hoc ipsum contestentur, & perpetuò in memoria habeant, non solum Ecclesiasticâ auctoritati se subijci, sed etiam ab eadem accepisse se illam suam dignitatem, & auctoritatem Regiam, Ecclesiasticâ consecratione & inunctione, eandem velut legitimo ritu susceperunt. Eandem formam, atque exemplum omnes Christiani orbis Reges lequuti, fœces suos ultrò submiserunt Ecclesiæ: re ipsâ hoc contestantes, quòd non nisi Ecclesiasticâ inunctione & consecratione legitimam auctoritatem se fateantur recipere. Quâ ex re adeò nihil au-

thoritati eorum & existimationi apud fidelem populum deperijt, ut plurimum etiam accesserit. Et quò quisque fidelius se impendit, ut serviret Ecclesiæ, auctoritatiq; Ecclesiasticæ, tantò etiam plus auctoritatis invenit apud suos subditos, & Divini Numinis favorem sibi efficacius ac paratius adesse sensit.

PROBATIO II.

Prioris continuativa, & ab absurdo, per oppositam sententiam secuturo, petita.

EX præstatis namque facile quisque intelliget, quale sit, & quò spectet, quod docent Adversarij, Neoterici præcipuè, Romano Pontifici non competere ullam jurisdictionis superiorem auctoritatem super Episcopos, reliquosque Ecclesiasticos gradus & ordines, nec super magistratus sæculares, Principes, Reges, Imperatores. Quam illi super omnes, qui ad Christi Regnum & ovile se pertinere agnoscunt, ex ejusdem Christi commissione competere, evidentissimum fecimus.

Et miror sanè, quòd dubitare quisquam possit, an in hoc suo Regno & Ecclesia, quam ipsa constituit & ordinavit Æterna illa Dei Sapiencia, ipsa quoque providerit, & constituerit, quod in unaqualibet humanæ societatis specie, necessariâ ratione coacti inter se constituunt homines: ut sit inter ipsos aliquis, penes quem sit præcipua auctoritas: cui teneantur deferre ceteri: qui singulis sua habeat officia præscribere, à singulis eorundem rationem exigere, negligentias, defectus, excessus commissos seu in officijs, seu ab uno adversus alterum, convenienti suæ auctoritati, & formæ societatis modo corrigere: sine quo nec ad momentum ulla posset subsistere societas, ulla inter multos conservari unitas. Quòd hoc illa ignoraverit suæ illi tam numerosæ, quam congregavit, societati Ecclesiasticæ necessarium: sine quo nec decem hominum unitam societatem conservari posse, omnes homines intelligunt. Mihi sanè quisquis de hoc dubitare potest, videtur de Christo sentire non admodum piè & sobriè.

Quin & ita hanc rem tecum æstima. Si una, ut est, à Christo instituta est ejus Ecclesia, & ita una, ut ejus unitatem ad finem usque conservari voluerit: an dubitare quisquam merito debeat: ab eodem eidem provisum fuisse de omnibus, quæ ad unitatem eam conservandam sunt, & fuerunt prorsus necessaria?

Finge cogitatione, qualem Adversarij à Christo institutam volunt Ecclesiam, absque ullo hygemonico, principante, rectorè, aut præside, absque ulla distinctione graduum sacri Ordinis Ecclesiastici, absque primatibus, Archiepiscopis, Episcopis: imò absque sacerdotibus alicujus sacratoris ordinis dignitate distinctis à laica multitudine: sed tantum, quos una quælibet plebs sibi deligit, Verbi & Sacramentorum ministros, æquales omnes, & unum in nullo subiectum alteri.

ooo

Quid



Quid videres in hac Sunamite? nunquid choros castrorum? an non potius Babylonem confusissimam: in qua uno anno tot essent, tamque pugnantem de fide & religione sententiarum, quot & quam diversa sunt capita? Et introducta semel in eandem istiusmodi pugnam & controversiam, quis foret modus refarciendae alicujus unitatis & concordiae? Istiusmodi confusissima & confusissima Babylon dignumne tibi videretur tali artifice & architecto opificium: cui nemo hominum, qui vel parum ratione, & mente polleret, non magis convenientem ad suum illum finem, decentem & decoram formam cogitatione effingeret?

Ad haec cogita, quod res est, in una domo Ecclesiastica, aut Christi Regno multos esse principantes, qui civiles magistratus gerunt: quorum nemo subditur alteri, nec alium supra se recognoscunt principatum civiliter. Ut Imperator, Rex Galliarum, Rex Hispaniarum, Lusitaniae, Angliae, Scotiae, & alij quam plurimi. Num tibi videretur, (si posses ipse, quam utilissimam toti Ecclesiae iudicares, formam, speciem atque ordinem solo cogitatu constituere) utilius fore Ecclesiae, & conservandae ejus paci congruentius, hanc tantam principantium in eadem Ecclesiastica domo multitudinem, uni superiori auctoritati, totius Ecclesiasticae rectori, subiectam facere; quae possit subortas inter nos quaestiones & controversias sua auctoritate componere, cui deferre omnes tenerentur? An verò nolles hos cujusquam obnoxios esse superioris auctoritati & iudicio? Non puto, quemquam esse tam male ad veritatem affectum, qui non intelligat, utrum horum magis congruat conservandae unitati ac paci in domo Ecclesiastica. Nam ad secundum horum, necessarium sequeretur, continuis bellis intelligentis tumultuari domum Ecclesiasticam. Necesse enim foret, quicquid inter hos tam multos oriretur quaestionis & controversiae, in qua uni non videretur cedendum alteri, ut id armis decideretur. Cum prior ea proposita Ecclesiae forma & species, superintendente illa omnibus auctoritate, cui essent omnes obnoxij, omnes facile omnium horum quaestiones & controversias tollerent & componeret, & ut intus pulcherrimam pacis pulchritudinem facile conservaret: ita faceret, eandem omnibus hostibus suis externis formidabilem: & adversus vim omnem munitissimam, quippe omnibus omnium viribus conspirantibus in utilitatem & salutem totius Ecclesiae, per auctoritatem illius hygemonicon superintendentis illis omnibus, & sui imperij habentis ad communem utilitatem & salutem revocantis omnia.

De quo, ut per se evidenti, cum omnino dubitari non possit, nec de hoc quidem quisquam merito dubitare poterit, hanc ne, an illa forma & specie Christus suam constituerit, atque ordinaverit Ecclesiam, nempe perfectissimam: & ad conservandam ejus unitatem, pacem & concordiam, finemque, ob quem congregavit eandem, quam congruentissimam: etiam si nullis hoc ipsum Scripturis demonstraretur aliter. Nunc verò, cum e-

tiam irrefragabili divinarum Scripturarum auctoritate evidentissimè demonstraverimus, ita institutam atque ordinatam fuisse à Christo, quis hinc dubitandi locus est?

Intelligunt proinde, quibus affectu depravatum non est, sed integrum syncerumque rationis iudicium, quam sint bene meriti de Ecclesia Christi, qui stulto quodam zelo auctoritatis secularis adversus Ecclesiasticam, huic illam nolunt subijci: Ethnicam adhuc, & non Christianam dominationem meditantibus animo, nec cogitantibus, quod in alieno jam, hoc est Christi Regno, hanc ipsa gerant auctoritas. In quo haec ipsa recepta precario, non vi introducta illi quoque debet servare fideliter. Extra quod quamdiu fuit, subiecta illi non fuit: postquam verò illud ipsum ingressa est, ut subesse debeat rectori, quem ille nobis sui regni designavit & constituit, nemo est, qui non intelligit.

Itaque non fuerunt ab initio Imperatores, Reges, & Principes subiecti Petro & Apostolis: ut qui in ovile Christi nondum ingressi fuerant: nondum se, suaque scepra, Christi regno submitterant: imò contra, Petrus, & Apostoli eorum, sub quibus debebant, auctoritati illi civilis erant obnoxij. At contra res habet de his, qui in regnum Christi iam intromissi sunt. In quos absque ulla distinctione, aut exceptione omnes data est Petrus, & qui ejus locum tenet, cura pastoralis regiminis auctoritas: omnibus imposta est illi obediendi necessitas.

Aequè tamen verum est, quod nullum suo iure privat Christiana religio: sed qui se illi atringunt ultro, seque Christi regno subijcunt, necesse est, ut illius quoque legibus pareant: illius sacrosanctis magistratibus obedientiam dependant: ut membra se submittant imperio & habentis hygemonicon, rectoris & capitis. Quod cum ab his docentur negligere & contemnere, sed quosque ferri loco impetu, iudicio, & arbitrio, tale nobis monstrum reddiderunt ex decentissime ordinata & composita à Christo Ecclesia, quale foret animantis corpus, si cuique membro daremus proprium iudicium & arbitrium, non subiectum Imperio hygemonicon: & ex pulcherrima pacis pulchritudine, quae conservata illa à Christo constituta ejus forma & specie in eadem vigeret, turbas, rixas, seditiones & bella plusquam civilia, & penè perpetua, in eandem introduxerunt, pro victa ejus adversus vim omnem externam fortitudine, eandem praedae ac direptioni hostium suorum omnium exposuerunt. Quae enim causa est alia bellorum inter nos crudelissimorum, quibus Christiani homines in Christianorum fratrum saepe innocentum, viscera ferru struimus, & omnia crudelitatis plusquam Ethnicae, plusquam barbaricae exempla edimus in nos mutuo, nisi quia Principes nostri ab illis pestilentissimis consiliarijs persuasi, rectoris Christi ovilis auctoritati non deferunt, quam tenentur obedientiam: ejus monitis ad Christianam pacem omni studio ipsos exhortantis, (quod certe perpetuo faceret, nisi suam ab ijs negligi, contemniqua-



authoritatem cerneret) in totius Christianæ Republicæ confusionem, excidium, & perniciem, rebelles & contumaces sunt? Quæ causa Turcas ita nobis fecit formidabiles? tot de nobis spolijs, victorijs ac trophæis divites, potentes & gloriosos reddidit? Ea una certè, quia non valet, quantum oportet, in corpore societatis Ecclesiasticæ hygemonicon, ejusve autoritas: quia ejus habentis & imperijs obsequi recusant membra singula: & proinde conservari non potest illa omnium & singulorum in totius utilitatem & salutem, qualem unitas corporis necessariò requirit, conspiratio: sed quodque fertur suo impetu, suo arbitrio & judicio, quisque suam tantum unius curat, atque agit negotium: totius utilitatem & salutem negligit. Hi sunt fructus præclara illius doctrinæ, quam cum suis docent adversarij, Evangelio & doctrinæ Christi planè adversantem & contrariam.

Jam & hoc tecum perpende & cogita: si esset liberam tibi, quam convenientissimam putares, & solâ cogitatione posses, Ecclesiæ Christianæ dare formam & speciem: an nullam esse velles in ea autoritatem, quæ enormiter peccantes Imperatores, Reges, Principes, & tyrannicè opprimentes suos subditos, posset corrigere & punire *coactivâ* quâdam potentia? Certè, talem requiri, evidens docet ratio: ne, si omnia ipsi impune liceant, vertantur in tyrannidem, & atque adeò belluinam quandam truculentiam. Hoc itaque quin inter nos convenit, illud quoque conveniat, necesse est, provisum esse, oportere, ut correctio ejusmodi fiat sine graviori nocimento Communitatis, aut Republicæ, cui præsidet delinquentes corrigendi. Jam cogitet quilibet, à quo, aut quibus velit Imperatores, Reges, Principes, qui nullum magistratum civilem supra se recognoscunt, enormiter delinquentes corrigi? Certè à subjecta illis multitudine & subditis hoc ipsam utiliter fieri non posse, non solum evidens ratio, sed etiam omnium ab initio Regnorum & Monarchiarum historia comprobat: & semper cessante infelicissimè, quoties ejusmodi aliquid à multitudine præsumptum, aut tentatum est. Habet enim princeps sibi obæratam, & in quidvis obsequentem militarem manum, quam facillimè immitteret in multitudinis rebellis & seditiosæ excidium. Adhæc coercionem seu correctionem ejusmodi delinquentis principis, necesse est, ordinem judicarium præcedere: ita ut ante accusetur & convincatur de crimine, deinde legitime condemnetur. Multa enim superiorum facta aliter æstimantur à subditis, quàm ad rectam rationem discussa ælimari, oporteat. Sed univertitas multitudinis, ejusmodi actibus judicialibus adversus suum principem, nequitiam est idonea. Quæ nec convenire posset ad hujusmodi, invito principe, nec eosdem super illum exercere.

56. Ita proinde res se habet, sine hygemonicon aliquo non posse rem communem, aut publicam aliquam subsistere: ejusque felicitas,

rem, ex principis bonitate, ad Commune Bonum præcipue respicientis, maximâ parte pendere. Attamen quia homines sunt etiam principes, etiam in malum proclives ut ceteri, imò & licentiâ, & quodam etiam rerum ita ipsos trahentium, & transverfos rapientium impetu sæpenuerò peiores ceteris, & legitimam dominationem haud rarò convertentes in tyrannidem: nec principatum propter hoc abolere oportet, nec subijcere subjectæ multitudini: quod omnem vigorem Republicæ solveret, sed omnes uni totius Ecclesiæ rectoris autoritati, ut convenientissimè subijci, demonstrat recta ratio: ita subjectos à Christo evidentè à nobis demonstratum est. Qui in omnes jurisdictionem exercens, unus Christi, cujus inter nos agit vicarium, est subjectus judicio.

57. Quare non immeritò in Lateranensi universali Concilio sanè quàm celeberrimo, quod sub Innocentio III. celebratum est, cuique interfuere Hierosolymitanus & Constantinopolitanus Patriarchæ, Metropolitanus LXX. Episcopi. CCCCXII. inferioris ordinis Prælati Ecclesiastici. DCCC. Regum verò Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierusalem, & Cypri Oratores. In hoc, inquam, Concilio, ex omnium Patrum, atque adeò totius Concilij sententiâ non immeritò decretum est, aut potius ex ipsi Christi verbis, & formâ Hierarchiæ Christianæ Ecclesiæ ita necessariò fieri, oportere, ab omnibus est recognitum, ut quoties Christiani orbis Principes, qui nullum alium, cujus jurisdictioni subacerent, supra se recognoscere, delinquerent alter in alterum, aut in suos subditos, correctionem eorum ad Romanam pertinere Pontificem.

PROBATIO III.

Objectionis in contrarium oppositæ confutatoria.

58. Quispiam fortassis cavillabitur, Summo Pontifici, uti Petri Successori, non competere *coactivam* ullam autoritatem super sæculares Principes, quod ipse Petrus gladio ferire à Christo sit prohibitus, & iustus, ut gladium in vaginam recondere, quem ut exererent, & vibrarent, potestatibus sæcularibus commissum esse.

59. Verùm quisquis, hæc objicit, is meritò intelligat, non ignorasse Eternam Dei Sapienciam, pastori ad exercendum suum pastorale officium, non solum perâ, sed etiam baculo opus esse. Non ignorasse id, quod intelligunt omnes homines, omnem, regendi quamcunque multitudinem, autoritatem inefficacem, imò planè frustratoriam esse, nisi *coactivâ* quoque autoritate aliquâ convenienter armata sit.

60. Sed varij *coactivæ* autoritatis, & coactionum modi sunt, quæ omnibus quidem, quibus aliorum commissa est gubernatio, in subjectos sibi necessariò competit: non tamen eadem omnibus, sed cuique sua: patribus.

Orbitas  
sæcra  
colica  
VI  
13.



busfamilias in filios, universamque familiam: dominis in servos: pædagogis, aut magistris in discipulos: Abbatibus in suos Monachos: civibus magistratibus in sibi subiectos: Ecclesiasticis verò, quos dicimus, in commissos suæ curæ & regimini: in omnes verò & super omnes, qui ad Christi familiam pertinent, dispensatori, & vicem patrisfamilias nobis referenti totius domûs Ecclesiasticæ, atque ejus Hierarchiæ universali præfidi. Omnibus, inquam, his, in sibi, suæque gubernationi commissos & subditos, necessariò competit etiam *coactiva* quædam autoritas, quâ possint delinquentes punire, & errata eorundem corrigere, sed non eadem; quando nec unus coercendi modus conveniret omnibus. Alius enim patri in filium: alius domino in servum: magistro, aut pædago in discipulum: Abbati in suos Monachos: sæcularibus principibus & potestatibus in sibi subditos: alius denique totius Ecclesiæ rectori, in omnes, in Reges, Principes, Regna, & Imperia. Uni enim virgæ conveniunt, alteri ferulæ, alteri flagra, compedes, carceres, alteri etiam gladius. At quæ hæc omnia in officio continere debet, potentior & terribilior sit omnibus, oportet: quæ etiam armatos, & gladium portantes principes sibi subicere, sine tamen cæde, possit, sine orbis tumultu & incendio. Hic autem est spiritualis gladius ille, quo Ecclesiasticæ rector familiæ, contumaciter sibi inobedientes, potest interdicerè ingressu Ecclesiæ, & communione Christi fidelium: potest refecare à corpore Ecclesiæ, atque ita illis cælum claudere, ad quod nulli, nisi ex Ecclesia patet aditus. Quæ pœna Christi fidelibus omnibus merito est omni morte terribilior, magisque formidanda omnibus armis sæcularium Principum: omni eorum *coactiva* potentiâ delinquentes coereret, frenat, & cohibet efficacius, ubi viget Christi religio. Cujus vim expertus in se Theodosius ille, verè Christianus & sapientissimus Imperator, ob seditionem & suorum magistratuum cædem, in Thessalonicensis inconsideratius ultam, verè humiliatus, in pulvere sedens & cilicio, atque ex intimis præcordijs singultus trahens & suspiria, Rufino se consolari volenti: *Meorum, inquit, sensu malorum haud tangeris. Ego verò gemo, lamentorq; in consideratione calamitatis meæ: quòd, cum servis & mendicis pateat Divinum templum, illique liberè ad deprecandum Dominum suum ingrediantur, mihi tum illud inaccessum, tum insuper & cælum oclusum est. Memoria enim teneo Dominicam vocem, quâ manifestè dicit. Quemcumque alligaveris in terra, is & in cælo ligatus erit. Hic illi, & illo tempore, de gladio spirituali sentus erat: qui datus est Ecclesiæ Principibus, ad faciendam vindictam in nationibus, & incerpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manibus ferreis. Cujus mureo, quòd nunc hebetit, quòd nostris principibus nunc minus sit, quàm illo sæculo fuerit formidabilis, non est, quia hi plus illis sapiunt, sed quòd plus*

desipiunt: quòd fidei, religionique minor apud hos locus sit. Nam quantum ubicumque viget Christi fides & religio, tantum viget illius gladij efficacia & autoritas. In promptu, inquit ille, habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Tantum ille cuique terrori est, quantum quisque credit Christo: qui contumaciter inobedientes Ecclesiæ, atque ejus rectori, feri extra Ecclesiam, & ab ejus unitate præcindi affirmat: extra quam nulli salus, sed omnibus clausum cælum est.

Ex his mihi satis demonstratam videtur, Romano Pontifici, successori Petri, velut pastori, rectorique totius Christi ovilis, jure *Divino* superiorem jurisdictionis auctoritatem competere, non solum in Episcopos ceteros, Presbyteros, universosque ordines Ecclesiasticos, sed etiam in omnes, qui inter Christi oves censeferi volunt: etiam Imperatores, Reges, Principes. Non equidem, quâ tollatur illis sua illa civilis autoritas: sed quâ eisdem delinquentes in ejus exercitio, punire possit secundum leges divinas & Ecclesiasticas, atque etiam dignitate ac magistratu privare incorrigibiles, ac turbantes pacem Ecclesiæ, aut etiam illi gerendo prorsus inutiles, & in locum eorum alios sufficere de consensu ejus, cui præstant, universitatis ac multitudinis: aut sufficiens mandare pet eos, ad quos eorum electio speciali aliquo jure pertinet. Quemadmodum non semel fecisse illos, approbante universâ Christi Ecclesiâ, certissima fidei historia comprobant. Quod iniquè ab illis factum atque usurpatum, iniquissimè calumniantur adversarij.

Quibus nihil adversantur, quæ contra inducunt Adversarij: & inprimis verba illa Christi apud Lucam, quæ contendentibus inter se de primatu Apostolis, interloquutus est Christus. *Reges gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eis: vos autem non sic, sed quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & filius hominis non venit, ut ministraret ei: sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.* Quibus verbis, quod illi volunt, omnem superioritatem, aut jurisdictionis auctoritatem supra se invicem, aut alios exercere, suis interdixisse Christum, toto abest diametro. Quin potius voluisse, ut esset aliquis inter illos major & primus, illis ipsis verbis aperte innuit: sed simul, nemini suâ ipsius causâ, suæ dominationis, sui honoris, ambiendum esse primatum ejusmodi, significavit. Nemo inter vos sit altero major, Princeps, Rex, aut primus: sed Principatus ut à Christiano, atque inter Christianos geri debet, onus & officium describit. Non enim debetis, qui præest, sive civiliter, aut politice, sive in Hierarchia Ecclesiastica, præesse sibi, ad suum commodum, gloriam, honorem, libidinem, ostentationem (hoc enim esset tyrannicam, non legitimam potestatem exercere) sed solam utilitatem eorum, quibus præest, ad solius Christi & Dei honorem & gloriam. Debet



Debet meminisse ejus, quod D. Ambrosius Theodosium Imperatorem admonuit, subditos se habere conjunctos sibi solum genere, sed communi servitio unius Dei. Unum enim esse Dominum & Imperatorem, hujus universitatis fabricatorem: proinde ita sibi commissum principatum ac magistratum gerere oportere, tanquam in oculis cuncta cernentis Domini: & qui paulo potest distri- ctissimam ab ipso rationem sibi commissorum omnium exacturus sit.

Hæc una & sola ratio est, inculpate & dignè gerendi inter Christianos Principatus, aut magistratus cujusque, quam nihil esse præter meram gravemque sarcinam, quis non intelligit? Quis, secundum hanc principantes, esse aliud dicit, quam meros servos servorum Dei? Ad quæ respiciens, nunquid Principatum, aut primatum, seu Ecclesiasticum, seu civilem quisquam ambiendum duceret? Tamen ut geratur ab aliquo, ut hæc nobis mutuo servitute impendamus, ille omnium Dominus vult & præcipit.

Nec est, quod quisquam, hæc dicta à Christo, pertinere ad solos, quos nunc dicimus, Ecclesiasticos, existimet: suis omnibus loquitur: Scitis, inquit, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Hoc est, inquit Origenes, non sunt contenti tantum regere subditos ad unam ipsorum utilitatem, sed violenter eis dominari nituntur. Aut, ut Chrysolomus, Principes mundi ita gerunt principatum, ut dominantur minoribus, & eos servituti subjiciant, ut expoliant, & ad mortem usque eis utantur ad suam utilitatem & gloriam. Sed hæc Principes gentium, qui ignorant Deum, vos autem non sic. Vos, inquit, qui mei estis, non sic: non istar illorum, qui Deum ignorant, sed velut in oculis communis Domini, super conservos & confratres vestros, non ad vestram (quæ tyrannis esset) sed ad eorum tantum utilitatem, & communis Domini gloriam, principatum ac primatum exercentis.

Hæc sibi dicta noverint, æquè omnes, qui Christi subesse volunt magisterio, qui se Christi haberi discipulos. Non sibi persuadeant Reges, Imperatores, aut civiles Principes, ad Ecclesiasticas, quas dicimus, prælaturas, Ecclesiasticumque primatum, ea tantum pertinere: ad omnes pertinent, qui Christi sunt. Vos, inquit, mei scilicet, quos tantum distinguit à gentibus ignorantibus Deum. Quid igitur? Nunquid his verbis prohibuit inter suos Christus esse Reges, Imperatores, Principes? nunquid quemquam ullam super alios præcipiendi, aut obligandi auctoritatem habere? nunquid omnes pares & æquales esse voluit? Quæ à Deo sunt, inquit ille, ordinata sunt. Noluit suum regnum Christus esse Babylonem, sed quod omnia ordinata agerentur à nobis, uni super omnes auctoritatem præcipiendi & mandandi commisit: uni dixit, ut regeret universum ovile suum, ut quemcumque obligaret in universo orbis terrarum: modo intra domum Ecclesiasticam, aut sui alios Regni limites, is ille ad hoc obligaretur coram Deo: voluit, ut ille super-

intenderet universis membris Ecclesiæ, sacris & profanis magistratibus ac officiis.

Quæ proinde fusior dissertatio huc relata, & repetita fuit, ut appareat, quid Papæ sit auctoritatis, si Reges causas Ecclesiasticas ad se trahere quoquo modo attentarent.

S. V.

Corollarium.

EX dictis inferitur. Quanta in illis Pontificis circa causas Gallie Regnum concernentes processibus sit necessitas citationis ac probationum? Author Libert. Gallic. eod. lib. 6. cap. 8. rem ita prosequitur. Citationem, inquit, de jure naturali ac Divino necessariam esse, consentiant omnes ferè Doctores, ita scilicet, ut nemo condemnatur, nisi se defendendi facultatem habuerit. In eam sententiam adducuntur varia sacra Scriptura loca, præsertim Genes. 4. vers. 9. ait Dominus ad Cain, &c. ubi Glossa Interlinearis sic ait; Non quasi ignorans ut dicitur, sed ut reum puniat; quia scilicet nemo puniendus est, nisi aut convictus, ut sponte confessus. Non patitur Bonum publicum, ut impunita remaneant scelera; sed multò minùs, ut plebentur infantes, qualis autem quisque sit, nemo melius novit, quam ipse; nec alijs melius innotescere potest, quam ipsius verbis; quæ si sincera sint, veritatem manifestant; si mendacia, non ita componi, aut promi possunt, ut vel ex contextu, vel ex modo, vel ex collatione cum alijs indicijs, & probationibus, aliquam non præbeant Judici criminis deregendi ansam; ut neque famâ, neque testibus solis, neque aliâ quavis ratione totè omnino, ac expedite, reo non audito, ad criminis, vel innocentia cognitionem perveniri possit. Etenim licet factum ipsum possit omnino notorium, & evidens esse: tamen ejus bonitas, & malitia plurimum ab adjunctis, seu circumstantijs pender, quarum saltem aliquas nemo alius præter ipsum facti auctorem certò novisse potest, v. g. quâ intentione ductus fuerit, quod maxime in ferendo de qualibet actione judicio attendendum est; quia, ut Divina docent Oracula, si oculus intentionis fuerit simplex, totum corpus actionis, quæ bene ac malè fieri potest, lucidum: si autem nequam fuerit intentionis oculus, tenebrosus erit totum actionis corpus. Jurisperiti etiam in criminibus, an dolus intercesserit, diligenter inquirendum monent.

Eà de causâ inhumana semper habita sunt illa judicia, quæ contra absentes non auditos, nec vocatos prolata fuerant. Ipsimet Pagani ab eis abhorruerunt. Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, presentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Verba sunt Felli ad Judæos S. Pauli damnationem urgentes, relata Act. 25. v. 16. Seneca eam esse putabat, ante sententiam audiendæ utriusque partis necessitatem, ut sapien-

0 0 0

prien.

bonitas  
sacra  
italica  
VI



pienter pronunciaverit; *Qui parte inaudita altera, aliquid statuerit, licet æquum sit, quod statuit, haud æquus fuit.* In Med. vers. 199. & 200.

68. Eam injuriam sibi à suis Adversarijs factam gravissimè conqueritur S. Joannes Chrylostomus in Epistola ad S. Innocentium Romanum Pontificem. *Quæ ab ipsis facta, contra omnem ordinem, contra omnes leges, contra Ecclesiasticos Canones. Et quid dico, Ecclesiasticos Canones. Neque in Gentilium judicij, neque in Barbarorum Tribunalibus talia attentata sunt unquam, imò verò neque Scythæ, neque Sauromatæ unquam judicârunt, judicium dandum uni parti, absente eâ, quæ accusatur, &c.*

69. Sanctus Augustinus epist. 162. ita in Donatistas invehitur: *Vbi est, quod Scriptura clamat: Antequam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris, corripes justè; si ergo nec vituperari, nec corripi, nisi interrogatum Spiritus sanctus voluit, quantum sceleratius non vituperati, aut correpti, sed omnino damnati sunt, qui de suis criminibus nihil absentes interrogari poterunt.*

70. Nec puto, à quoquam dubitari, quin audiendus, vel saltem citandus sit reus, antequam in eum, vel etiam pro eo feratur sententia: de citandi tantum ratione interdum ambigitur. Bonifacius VIII. in Constitutione *rem non novam, de dol. & contumac. in Extravag. commun.* quam occasione dilidij cum Philippo IV. Francorum Rege dicitur edidisse, statuerat, ut citationes autoritate Apostolica de quibuscumque personis, undecumque, & ubicumque essent, præsertim, si impedirent, ne citationes ipsæ ad se pervenirent, si loca tutè ac liberè adiri non possent, factæ in audientia litterarum Apostolicarum, aut in Aula Palatii, postmodum affigendæ in valvis majoris Ecclesiæ loci, in quo Romana Curia resideret, sic valerent, ac arctarent citatos, sicut si eos personaliter apprehendissent, seu ipsismet significata fuissent. Quia verò vox illa, præsertim, indicare videbatur, id etiam in alijs casibus, ultra expressos in Constitutione, locum habere debere, cæteros omnes Clemens V. in Concilio Viennensi exclusit, his verbis: *Præfatum modum citandi restringimus ad illos tantum, & in illis locum volumus sibi vendicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant, per se, vel per alios, quoquo modo, ne ad eos possit citatio pervenire, vel quorum domicilia, siue loca non possunt tutè, liberè adiri.* Clement. Dudum. de judic.

71. Ergo de jure Divino, ac Naturali est, ut nemo condemnatur, nisi sese defendendi facultatem obtinuerit. Quamobrem oportet, ut citetur, meliori, quo potest modo; ita tamen, ut quantum est ex jure Divino, vel Naturali, satis sit, quod citatio ad ejus cognitionem perveniat, aut ut, ne pervenire possit, ipse vel efficiat, vel procuret. Cæterum quantum ad specialis citationis condiciones, pro varijs personarum, & negotiorum circumstantijs, Canonibus & Legibus standum est, quamdiu aliqua urgentissima causa diversum ordinem sequi non suadet. Si autem hujusmodi causa subsit, justitia præscriptis formulis, quæ propter commodius servandam justitiam excogi-

tata sunt, anteponenda est, præsertim à supremo judice.

Porrò si reus sincerè crimen suum, aut aliud quid sibi contrarium fateatur, 74. probatione non est opus; præsertim si de scelere non agatur, cui pœna mortis debeat (quo casu non esset audiendus, perire volens) quia non est verisimile, homines, ad privatum sui amorem propensissimos, velle suis rebus nocere, etiam cum veritatis dispendio, quam e contra plerique propriarum rationum conservationi postponunt. Sed cum deest rei confessio, necesse est, imò, cum adest confessio, est utile, alias conquirere probationes, ut non nisi plenè comperto facto, jus dicatur.


Cujusmodi autem debent esse probationes, ut plenam fidem facere censentur, vel ut iudex ad ferendam certam sententiam procedere queat: pro causis quidem ordinarijs duo testes omni exceptione majores ex jure Divino, in varijs Scripturæ locis promulgato, & ex multis legibus humanis, requiruntur, & sufficiunt. Frequenter tamen plures necessarij sunt, seu probationes majores: aliquando sufficiunt pauciores probationes, propter crimina, de quibus est quæstio, clam, aut palam solent perpetrari; propter pœna gravior, aut levior infligenda est, ac pro cæteris circumstantijs. Quocirca id sequendum est, quod præscribunt leges, & consuetudines, aut Judicis arbitrio standum, ubi res à legibus ei permisa est, ut ubi iudex supremus est, cujus sententia legis vim habet, quoties juri Divino, aut naturali aperte non repugnat.

Dubitatur autem, utrum, si pœna pro vero, sed non comperto crimine imponeretur, valeret sententia? Eam certè rescindendam esse, probat Joannes Monachus plurimis, gravissimisque rationibus. Unde necessariò consequitur, abstinendum esse à ferendis hujusmodi judicij. Reus non tam sui, quam aliorum causâ punitur à Judice, ut scilicet similis pœnæ timore à malo retrahantur. Si autem crimen confessione, aut aliâ juris ratione ad publicam lucem deductum non fuerit, non magis malis, quam bonis terror inicitur, nec potius culpa Reorum, quam injustitiæ Judicium pœna adscribitur. Evidentia patris sceleris non indiget clamore accusatoris, ut habet Glossa in cap. 4. Genes. vers. 10. Indiget tamen examine, ut patet in cap. 12. Genes. ubi Deus, cum de peccato Sodomorum & Gomorrhæ dixisset, *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis; iungit nihilominus; Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est us, ut sciam.* Ubi Glossa; *Us à præcipitatione judicij compereret, mala Sodomæ prius voluit probare, quam judicare.*

Cæterum Superiorum sententia, etiam injusta, præsertim si injustitia circa modum duntaxat versetur, contemni non debet, ne contemptus dignum reddat pœnâ, quæ fortè injustè fuerat inflicta. Quocirca sapienter monet S. Gregorius homil. 26. in Evang. Pastor ergo vel absol.



absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub mani Pastoris est, ligari timeat, vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat: ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, qua non erat, fiat.



DISQUISITIO V.

De Jure Appellationum ad Romanum Pontificem.

PREFATIO.

Hujus Disquisitionis intentum Elliesius in sua de antiqua Ecclesiae disciplina Dissertationis secundae Praeloquio reducit ad tria principia. Quorum primum silit in hoc puncto, quod scilicet in omni societate sit necessum, aliquos esse controversiarum iudices, nec non aliquam reperiri formam judicandi circa res illas, quae finem & salutem societatis respiciunt. Cum ergo finis societatis fidelium sit vita aeterna, per fidem & bonos mores adipiscenda, bonumque illud Commune sit conservatio Fidei, & integritas morum in singulis Ecclesiae membris, subfertur is Parisiensis Theologus, haud dubium esse, quin Ecclesia suos habeat debeat iudices, qui de causis ejusmodi statuunt ex legitima & certa quapiam judicandi forma.

Secundum principium est hujus tenoris: quod inter omnes constet, illos esse in Ecclesia controversiarum iudices, qui Christianos in fide & moribus instruunt, quales fuerunt Apostoli, & post Apostolos Episcopi & Pastores, qui singuli in Ecclesijs, quibus praesunt, iudices dici possunt. Si vero aliqua gravior questio sit exorta, tunc iudices illos oportere, ut in communi conveniant ad mutuo deliberandum, & finem controversiae imponendum: quemadmodum Apostolos convenientes cum senioribus Hierosolymis finisse questionem de Legalibus. Post quos eandem consuetudinem mansisse, & certam quandam judicandi formam esse statutam. Cum enim Episcopi in singulis Ecclesijs essent constituti, qui supra Presbyteros eminebant, his personarum, quae in illorum Ecclesijs degerent, controversiarum illic ortarum iudicium attributum esse; sed ita, ut simul cum Clero hoc esset, cum alijs Presbyteris iudicarent. Ab horum autem iudicio provocationem concessam fuisse ad Metropolitanum Episcopum, cum quo iudicabant ceteri Episcopi Provinciae.

Tertium principium involvit isthanc controversiam; Utrum scilicet à Metropolitanis & Synodi Provinciae iudicio ex veteri Ecclesiae disciplina concessa fuerit provocatio ad Romanum Pontificem? Pro cuius resolutione, ait Doctor ille Parisiensis, solere duplex distingui causarum genus, quarum aliae majores, aliae minores dicantur. Majores esse illas, quae vel Episcopos, vel graviores aliquam disciplinam respiciunt: minores vero dici eas, in quibus agitur de Presbyterorum & Clericorum iudicio, vel de leviori aliquo disciplina capite, privatam aliquam Ecclesiam attingente. De quo proinde utroque causarum genere queri; Utrum provocatio detur ad Romanum Pontificem? Alijs namque in

omnibus, alios vero in majoribus tantum provocationem habere locum, contendere: ceteris negantibus, antiquitus à iudicij quibuslibet Synodorum provocatum esse ad Romanum Pontificem. Ad hanc igitur controversiam decidendam, cum praetaxto Auctore impraesentiarum discutimus; Quid de jure sentiendum sit circa appellationes ad Romanum Pontificem?

S. I.

Quid juris circa Appellationes ad Romanum Pontificem statui possit ex quinto Concilij Niceni Canone?

Hic Canon ita se habet. De his, qui communionem privantur seu ex Clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abiciantur, ab alijs non recipiantur. Requiritur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, placuit, per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciae, discutiantur ejusmodi quaestiones, & sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus asumentur; usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat, humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur, unum quidem ante quadragesimam Paschae, ut omni dissensione sublata, manus offeratur Deo purissimum; secundum vero circa tempus Autumni. Ex quo proinde Canone Elliesius praesenti Dissertatione 2. §. 1. infert, omne in causis Ecclesiasticis iudicium definitivum Episcopis Provinciae committi sine ullo recurso, aut provocatione. Quae conclusio, quanti sit momenti, accuratiori trutinà hic expendere lubeat.

Primo namque praetendi solet, quod in eo Canone agatur de minorum duntaxat Clericorum in causis criminalibus iudicio, non de Episcoporum damnationibus: veluti evincitur ex ipsismet Canonis verbis dilectè statuentis de illis, qui suo evidenter peccaverunt Episcopo. Verum Elliesius in sine citati §. reponit: Canonem illum specialiter quidem loqui de Clericis Episcopo subjectis, quia illae causae erant frequentiores; sed praeterea ex Canonis illius verbis colligi, eandem fuisse disciplinam servatam in iudicij Episcoporum, imò Canonis ejusdem fuisse intentionem, ut eadem in Episcopis atque Clericis inferioribus proportionaliter servaretur disciplina: nam si quae Episcoporum praerogativa, ac peculiaris quæpiam ad eos iudicandos forma in usu fuisset, utique oportuisse, ut Concilium Nicenum in suo Canone eam hunc exciperet.

Verum in ista Elliesiana exceptione occurrit notatu dignissima primae instantiae confusio cum secundae appellationis instantia. Dum enim causa erat cujuspiam, qui vel ex Clero, vel ex laico erat ordine, ab Episcopo, cui peccaverat, seu quem offenderat, prius erat discutienda, citare insinuat primae coram ipsius tribunali

Oritas  
adre  
tolica  
VI